Erato.

Athleta Matris intemperantiae impurissimi, Athleta à castitate Virginis alienissimi, cujus Pater Cerberus Mater Proserpina voluptatis, quàm strenuè quam fortiter, quàm acriter hac in dyade vitiorum exercuerunt sese tenus hac, sese hodiernum exercent, usq; et dum hoc universum restabit exercituri sint ipso Sole, Stellarum rege lucidissimo liquidius omnibus purioris notae hominibus constat. Sed ô depravatam Mortalium amentiam! amentiorem ô hominum perversitatem! quis quaeso ignorat intemperantiam nonnisi fontem seu Matrem esse omnium perturbationum? quis ignorat, hanc ipsam non nisi meram intemperantiam esse voluptatum, eoq; maximè vituperandam. Enimvero omnibus ferè in rebus modum transit, voluptates nullas praetermittit: et ut venti navem correptam huc illuc ferentes quassant et inobedientem efficiunt gubernatori: ita animam agitans et menti immorigeram esse cogens intemperantia tranquillam esse et in portu quiescere non permittit. Nam assedam habet voluptatem cicutam virtutis et omnis turpitudinis sartinam, quae esca est praeterea omnium malorum et, cum quadam lubrica suavitate ad illicita sordidae mentis inclinatio. Haec una mille mortalibus flagitia mille dedecora pestesq; affert, haec rationes omnes conturbat, haec bonorum maxima pernicies est studiorum, et ingenijs quae bonis artibus perpolienda, ad decus et gloriam in Palladis illo pulvere egregiè instituenda, damnum dat irreparabile: nec ullum sub tota Veneris sphaera vitium, se tanta vi et efficacia deprehendit, quam saepius jam jam memoratum vitium voluptatis qua nihil turpius, nihil foedius, nihil detestabilius: quam libido, quae appetitus contra omnem excitatus rationem vehemens: quam voracitas res sanè dictu turpissima: quam denique helluatio, ab eluendo quod omnia sua bona devorat sic dicta.

Haec haec vitia sunt, quae sub aspectu Veneris libidinosa sese offerunt, suamq; vim et efficaciam venenatam satis exerunt.

Haec haec phalanges multis dolis extructa sunt, quae vincunt plures Musis addictos, qui non optimo prudentiae pharmaco muniti sunt. Humanam enim naturam ad quaevis vitia proclivem esse,